Caput III.

Marmora varia, aut alii Lapides picti, aut qui quidquam peculiare in ſe immerſum continent.

Sectio XIV.

De Marmoribus Florentinis, et aliis variè pictis.

§. 52.

Marmor Florentinum pictum Caſtellum ad mare ſitum cum rupe exhibens. Idem civitatem cum turribus, et nubibus repræſentans. Idem cum Turribus, caſtellis, et nubibus, atque cuniculo perpendiculariter quaſi in aerem exploſo referens. Idem cum rupibus acuminatis, in quas quandoque noſtræ ſummæ alpes terminantur. Idem cum rupibus obtuſis earundem ſummarum Alpium. — Marmora Florentina.

53. Marmora variè maculoſa, et quaſi picta Saliſburgenſia ex albo fuſco, et rubro eleganter variegata cum facie alicuius Franciſcani. Idem elegans cum fungis marinis corallinis immerſis. Idem Florentinum croceum maculis albis hinc inde diſperſis variegatum. — Saliſburgenſia.

Sectio XV.

De Ardeſiis cum Variis immerſis.

§. 54.

Ardeſiæ Oeningenſes, prope Lithopolim ad Rhenum ditionis Tigurinæ: albæ cum Scarabæo immerſo. — Ardeſiæ Oeningenſes.